

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0334

0332

0338

0328

0343

0323

0383

0283

0433

0233

0833

Ende

Anfang

321

Soldani, nec reaedificare permittunt. Alia etiam loca destru-
xerunt in circumferentia ecclesiae eorum, quae tamen emta
eis fuerat. Et praeter illa sunt plures ibi occisi a paganis
et hodie verberantur et tribulantur et nunquam securi sunt
nec de locis, quae habent, nec de vita.

Anno autem Domini MCCC., dum adhuc non erant refor-
mati, tantum exorbitabant fratres illi, ut et pagani et Christiani
offenderentur. Sed Ordo succurrit conventui illi et notabiles
viros ac maturos ibi posuerunt, et ita servant usque in hanc
diem observantiam sinceram et peregrinis advenientibus fide-
liter serviant et ministrant eis necessaria infirmosque de
hospitali in suum recipiunt infirmitorum curam eorum agentes
magna charitate, quod et ego ipse expertus apud eos
manens. Quapropter omnium christianorum principum, baro-
num et nobilium ad se converterunt affectum, unde eorum
largissimis eleemosynis sustentant fratres illos. Singuli enim
reges singulis annis mittunt suas eleemosynas eis, ille quin-
gentos ducatos, alius quadringentos, alter (291A) plus, alter
minus, secundum consuetudinem vel secundum affectus ad
loca sancta sinceritatem et magnitudinem. Nihilominus dantur
eis etiam multae eleemosynae a cottidianis peregrinis et ab
eis, qui in dominico sepulchro insignia militiae accipiunt; et
haec omnia sunt eis necessaria: nullas enim colligunt eleemo-
synas ab orientalibus, nec a paganis nec a Christianis, sed
ea, quibus sustentantur et vivunt, ab occidentalibus recipiunt.
Ideo summe providendum esset, ne egestate inhumana fratres
illi affligerentur, et quod structurae relictarum ecclesiarum
eleemosynis fidelium fulcirentur, et hospitale pro advenis et
peregrinis ibi restitueretur, et quod libertas visitandi loca
sancta a paganis ecclesiae stipendiis procuraretur. Ab exor-
dio enim fidei et in veteri Testamento gentilium reges et
principes pecunias et donaria miserunt Jerosolymam his, qui
ibi divinis servitiis insistebant, sicut manifeste patet in libris
Esdrae 1. cap. 1. et cap. VI. et VII. et Nehemiae c. 2. et 3.
Esdr. 4. et 2. Maccab. 3. Sed et in novo Testamento erat
beatis Apostolis singularis cura, ut facerent in nationibus aliis
collectas pro his, qui erant in Jerusalem, in quo legimus
sanctum Paulum singulariter fuisse occupatum, et sanctum

21

